

160 *Wroxeter*, rep. a. 1752; servatur in museo; est cippus fastigio ornatus, altus p. 2 dig. 2¹/₃, latus p. 2 dig. 4²/₃. Tertia frontis pars nunquam inscripta fuit.

<i>delphinus</i>	<i>in fastigio</i> <i>caput</i> <i>Medusae</i>	(<i>delphinus</i> <i>alter perii</i>)
<i>sertum</i>	<i>sertum</i>	<i>sertum</i>
D · M	D · M	
PLACIDA	DEVCCV	
AN · LV	S · AN XV	
CVR · AG	CVR · AG	
5 CONI · A	≡ ATRE	
XXX	⋄	

I. Ward *philos. transact.* 49, 1755 p. 196 tab. 5 fig. 2 (inde Goughs *Camden* 3 p. 23 tab. 1 fig. 5); Parkes ms. f. 58; Hartshorne *Salopia* p. 122; Th. Wright *the Celt* p. 321, *assoc. journ.* 15, 1859 p. 311, 3. 4; Anderson *Uriconium* p. 127.

1, 5, 6 Indicantur fortasse anni matrimonii.

2, 5 RATRE traditur, ut etiam cogitari possit de MATRE vel PATRE.

D(is) M(anibus). Placida, an(norum) LV, cur(am) ag(ente) coni(uge) . . .

D(is) M(anibus). Deucius, an(norum) XV, cur(am) ag(ente) [p]atre

161 *Wroxeter*, rep. a. 1859. Servatur in museo.

· D · M ·
I · SVM IIII

Th. Wright *assoc. journ.* 16, 1860 p. 158 ss., 8; Anderson *Uriconium* p. 131.

2 ISVA Wright.

162 *Wroxeter*, in effossionibus recentibus fragmentum tituli scariphati in muro dealbato (*fragment of a wall inscription*) apparuit eius modi

#||- W I I # F

Th. Wright et H. Johnson *Archaeol. Cambr.* ser. III 5, 1859 p. 218. 257.

163 *Tretire, Herefordshire*; mensa vel ara lapidea, exculpta ad usum fontis aquae benedictae in ecclesia S. Michaelis; servata per Ioh. Webb parochum loci.

DEO TRIVII
BELLICVS DON
AVIT ARAM

Th. Wright *proceedings of the soc. of antiq.* 2, 1849—1853 p. 193 (*wanderings* p. 16, *the Celt* p. 274; *gent. mag.* 12, 1862 p. 456).

Deo trivii Bellicus donavit aram

De antiquitate tituli non est dubitandum.

XVII. DEVA, LEGIO XX VALERIA VICTRIX

(*Chester*).

Accedunt Haddon, Hopton, Melandra Castle, Riseley (Derbyshire).

Devam oppidum vetustum, situm ad eiusdem nominis fluvium (hodie *Dee*), certo inde a saeculo altero, fortasse iam antea, stativa habuisse legionis XX tam scriptorum testimonia demonstrant (Ptolem. 2, 3, 19 *Δηρία* — ser. *Δηρία* — καὶ λεγῶν ἢ νικηφόρος; itin. Anton. p. 469, 2 *Deva leg. XX vict.* cf. p. 482, 5. 8; Rav. 5, 31 p. 428, 18 *Deva victris*) quam tegulae legionis atque lapides soliti singularum centuriarum (n. 172. 173) ibi reperti, quos infra proponemus, titulique reliqui hic collecti quamvis pauci. Insunt enim iis dedicatio ab ipsa legione XX facta (n. 171), deinde genio centuriae posita ab optione (n. 166), Fortunae reduci aliisque deis a legato Augusti (n. 164); memorantur praeterea tribunus (n. 167) et princeps legionis eiusdem (n. 168). Etiam dedicationes Genio loci pro salute imperatorum et numini Augusti factae (n. 167. 170) huc faciunt. Contra desunt omnino, si magistrum fani alicuius, ut videtur, Minervae (n. 169) exceperis, honores civiles et officia privata, neque unde coloniam fuisse Devam Angli noverint equidem indagare potui. Titulum sepulcralem unum tantum casus nuper protulit (n. 175); privatus praeterea est pavimenti alicuius unus (n. 174). Sed hodierna *Chester* inter eiusdem fere magnitudinis urbes Britanniae unica est, quae museo aliquo publico omnino careat; certe equidem frustra ibi a. 1866 titulos quaesivi et casu tantum alius exempli ignarus incidi in sepulcralem (n. 175). Reliquorum duos tantum vidi, alterum servatum in museo Britannico (n. 164), alterum Oxonii (n. 168), verum omnino evanidum.

1. Praeter titulum Oxonium delatum (n. 168), quem editores marmorum Oxoniensium inde a SELDENO et CHANDLERO noverunt, antiquissimus, qui innotuit, is est, quem HALLEY edidit (n. 167).

2. HORSLEIUS tres tantum titulos Devenses novit (n. 167. 168. 170), quorum unum solus servavit.

3. Dan. et Sam. LYSONS (*Magna Britannia* vol. 2 Lond. 1810 4.) praeter notos duos accurate primi exhibent titulum n. 164.

4. PENNANT (vide cap. XV n. 9) in supplementis titulos Devenses duos protulit (n. 164. 167); eiusdem scriptoris liber *the journey from*

Chester to London (Lond. 1782 4., ed. II ibid. 1811 8.) titulos non habet.

5. In *the antiquarian itinerary* a. 1815 titulus unus proponitur (n. 167).

6. Georg ORMEROD *the history of the county . . . and city of Chester* (Lond. 1819 3 voll. fol.) titulos profert ex auctoribus antiquioribus iam notos.

7. Ios. HEMINGWAY (*history of the county of Chester*. Chester 1831 2 voll. 8) tegulae titulum unum ex latere ipso, lapidi inscriptum unum tantum (n. 168), neque vero ex lapide, exhibet.

8. A. HUME (*ancient meols: or some account of the antiquities found near Dove Point on the sea coast of Cheshire*. Lond. 1863 fol.) reliquias vitae vetustae in antris paludibusque repertas collegit diligenter, titulos vero inscriptos non respexit.

9. C. R. SMITH in ephemeridibus variis itemque in collectaneorum antiquorum volumine sexto (a. 1868) etiam de antiquitatibus Devensibus optime meritis est (cf. n. 165. 171).

Singula praeterea debentur T. N. BRUSHFIELD (n. 174) et I. Y. SIMPSON (cf. titulus Graecus infra proponendus). Societates virorum doctorum, quae per eas regiones extant, veluti *the historic society of Lancashire et Cheshire* (inde ab a. 1848; cf. *assoc. journ.* 5, 1850 p. 397 ss.) et *the journal of the architectural, archaeological and historic society for the county, city and neighbourhood of Chester* (inde ab a. 1849; cf. *archaeol. journ.* 14, 1857 p. 290) titulum quod sciam nullum publici iuris fecerunt.

Deae Nymphae titulum aliquem a Seldeno (marm. Oxon. app. p. 57, 5) ex Camdeni collectaneis non plene editum, quem ille ait in Brigantum agro repertum esse, male Devae attribuit Gale (itin. Anton. p. 53). Devensem non esse recte sensit Horsleius (p. 179. 315) quanquam postea opinionem videtur mutasse, cf. praef. eius p. X, neque vero ad *Gretabridge* pertinet, ut voluit, sed ad Petrianam stationem valli Hadriani (infra cap. LIII), ubi vide; is enim titulus re vera extat in Camdeni collectaneis.

De comitatus *Cheshire* antiquitatibus Romanis praeter CAMDENUM (*Goughs Camden* 3 p. 39 et p. 48 ss.) et HORSLEIUM (p. 314. 318 ubi